




Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.

2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.

3. Gymnasium Ethicum.

4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

# GYMNASII ETHICI EXERCITATIO VI.

De

# Legibus.

Quam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

*Placidæ ventilationi subjicit*

GEORGIUS CHRISTOPHORUS BERWALDUS,

Doringius.

In Gymnasio Gedanensi.

*Ad diem Septemb.*

Horis locoq; destinatis.

---

DANTISCI,

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

Anno M. DC. XLIX.

# EXERCITATIO VI.

## De

# LEGIBUS.



CUm Justitia universalis ad obedientiam omnium legum inclinet, Leges effecta ejus sint, *d. 5. t. 16.* Conseqventer *de legibus in Ethicis* præcipiendum, etsi & in *Politicis* & alibi doctrina ista tradatur. Spectari enim lex potest, *vel* ut homini à Deo indita, aut certæ Reipubl. ut Judaicæ, aptata est, ita ad *Theologum* de lege & Evang. tractare spectat: *vel* prout in Rep. lata dextrè interpretanda est, ita ad *ICtum*, cujus proprium munus, sensum legum in Rep. congruè explicare, *6. Nicom. c. 8. vel* prout ferenda, servanda, abroganda, mutanda, est, sic *Politici* cura est, *V. Aristot. 2. Pol. c. 8. vel* ut in genere sine determinato ad Reip. statum, natura, veritas, affectio & habitudo ejus repræsentatur, sic *Ethici fori* propria est.

2. Et hoc dupliciter. *1. Generaliter*, ut omne præscriptum est, sive justum & honestum, sive injustum & inhonestum sit. Qvod significatum vocis legis hic usurpant, *Arnisæus 9. Polit. c. 8. Horneius l. 4. Eth. c. 8. Elerus d. 11. Eth. t. 9. 2. Specialiter*, ut honestum est, unde negant legem de inhonesto veram legem esse, ut *Augustinus l. 1. d. lib. arb. c. 5. & L. 19. d. civ. Dei. c. 20. Plato. 5. de. leg. Cicero. 1. d. leg. t. 18. 19. 58. L. 2. c. 11. 12. 18. L. 2. d. Invent. C. 86. Thomas 1. sec. q. 92. 96. 99. Clemens Al. l. 1. Strom. Valentia T. 2. d. 7. q. 1. Timplerus 4. Pol. c. 4. q. 7. Meisnerus 1. d. leg. q. 5. & L. 4. s. 1. q. 8. Piccolomineus*

*gr. 10. c. 24. Gerhard. d. Mag. Pol. t. 221. Covarruvias T. 1. Resol. p. 415. Keckerm. d. 80. curs. Phil. t. 5. & q. 1.* Et est *Aristotelis* etiam sententia, *5. Nicom. c. 15.* Et proprie in Ethicis tantùm de honestis legibus agitur. De *inhonestis imperata* esse possunt, non leges, sed potius illegalitates, anomaliæ, enormitates, & inordinationes. Etiamsi tandem *Philologis* tàm latè vox Legis extendatur, ut & iniqva complectatur.

*3.* Vox legis à ligando vel legendo, activè aut passivè sumpto, dicta, *interdùm* omnem doctrinam notat, *interdùm* V. Testamentum, constitutionem Politiæ Judaicæ, Decalogum, legis maledictionem, particularem constitutionem, & simile qvid, *hic regulam agendi & omittendi notat.* Dicitur *& Jus*, qvod interdum Justitiam objectorum in ipsis rebus fundatam, *vel* necessitudinem & cognationem, *vel* locum Juridicundo sacrum, *vel* omne prætoris enunciatum, *vel* scientiam Juris, facultatem habendi aut agendi circa aliqvid, debitum legale alteri reddendum, *vel* honestè exercendum, *vel* regulam operum notat, ut *hoc loco*; Et mandatum, statutum, sancitum, jussum, præceptum, regula, norma, qvamvis inter qvædam distingvatur, Græcis νόμος, Hebr תּוֹרָה, Germ. Gesetz/ Satzung/ Befehl/ dicitur &c. Potest *& effectus Justitiæ* esse, cum lex invenienda & ponenda est, ubi habitus Justitiæ in homine facit legem & constitutionem honestam: *Et Justitia effectus legis*, qvà lex jam posita & inventa est, ad eamq; ut normam ac dirigentem Justitia in Rep. exercetur: Et Lex objectum Justitiæ, qvà ad præscriptum legis exercenda, ubi lex velut id, qvod in actum duci debet, est. Ac tàm universalis Justitiæ effectum

fectum est lex, qvà ad omnia honesta se extendit, qvàm particularis, qvà in particulari externorum commutatione ac distributione æqvum servari docetur.

4. Lex spectari *in definitione, causis, subjectis, objectis, affectionibus, divisionibus, & oppositis potest.*

5. *Definitio est, qvòd sit decretum à potestatem habente sufficienter promulgatum, substantiam intellectualem ad rite vivendum dirigens, & ad obediendum obligans, ad servandam status salutem.*

6. Nota hîc 1. *Definiri hîc legem*, ut in Ethicis spectatur, & de honesto est, non inhonesto, *t. 2. 2. Ut & in legislatore* est, actus judicans, volens, imperans, hoc à subditis servari aut vitari, eoq; actus & prudentiæ & authoritatis ejus; *Et ut in subdito*, judicium practicum de statuto legitimè servando: *& ut absolutè in se est*, regula actiones humanas dirigens. Qvomodo & ad intellectum & voluntatem pertinet, inq; illis est, ut subjectis, in voce, tabulis, scripturis, ut signis.

7. *Genus ejus est decretum.* Lex complexum qvid & integrum enuntiatum est, ut; non furaberis, parentes honorandi sunt, eoq; non directè prędicamentale ens, eoq; rigidum genus ejus dari non potest, sed anologicum, ut natura rei fert, qvale hic decretum est. Qvod sumendum, *non ut sententiam* disceptantem, dubitantem, ignotum ex noto deducentem, colligentem, succedentem, notat, sic enim imperfecta, & Deo non competit, in qvo decreta agnoscimus: *Sed generaliter*, ut sententiam latam & præceptum rei faciendæ aut omittendæ notat. Connotat & *actum intellectus* in legislatore, qvà prudenter regula moralis proponitur, & *voluntatis*, qva imperio

 sub-

ſubditus ad obſervandũ obligatur, ut, volo & jubeo, hanc regulam ſubditos obſervare. *Jubere enim lex debet, non diſputare, Senec. ep. 94.* Unde rectius in eâ dicitur, non facies, qvàm, ne facias, Illud enim magis jusſum, hoc conſilium importat. Et per hoc Lex *à conſilijs, monitis,* adhortationibus & dehortationibus, ſvaſionibus & disſvaſionibus, diſtingvi poteſt, qvæ dirigere ex parte posſunt, ſed non jubere. Conſilium offerentis arbitrium, ſed præceptum ſervientis necesſitas eſt, ut *Hieron.* loqvitur.

8. Variè aliàs *Legem ex genere* determinant, ut imperandi ſapientiam, rectam hominis rationem, rationis ordinationem, communem civitatis conſenſum, doctrinam, normam, patefactionem. &c. *v. Horn. 4. Eth. c. 3. Meiſn. 1. d. leg. q. 2.* Ubi qvædam magis efficientem, qvàm genus, alia effectum & affectionem, vel nimis laxam aut ſtrictam, aut tropicam ac metaphoricam vocem pro propriâ adhibent, *V. dec. 3. d. 4. t. 16. Dices; Lex naturæ eſt habitus connatus,* non autem decretum. Et tamen Lex. Ergò decretum non exhaurit legem. ℞. *Vt Lex naturæ* lex eſt, ſed connata & indita: Ita & decretum, non promulgatum, ſed implantatum & inſcriptum in ipſo homine, dictamen & principium luminis naturalis de faciendis & omittendis, qvæ interna dictatio promulgationis analogon eſt. Ut hæc externè, ſic illa internè præſcribit. Ut hæc norma vivendi, ſic & illa. Ut lex ratione legislatoris decretum, ſubditi obligatio eſt, ſic & hæc.

9. *Cætera verba ad differentiam pertinent, & à cauſis, ſubjectis, ac officio legis* ſumuntur. Ab efficiente dicitur, *à poteſtatem habente ſufficienter promulgatum, h. eſt,*

*ſupe-*

*superiore*, qvi vim habet & Jurisdictionis, ut obligare posſit, & coactionis, ut ad parendum cogere posſit. Unde gladius magiſtratui datus. *Roman. 13. verſ. 4.* Ut efficaciter legem in ſubditis exeqvi posſit, ſecus lex ſine executione eſt campana ſine piſtillo. Hanc vim *vel* communitas, qvę Jus legislatorium, ut corpus liberum, ſibi reſervare posſit, *vel comm. præſes* habet, vel ſummus, ut Deus, vel ſubordinatus, ut magiſtratus, qvi *vel* immediatè à Deo habet, ut Moſes, *Exod. 4. v. 16. ſeqq. Vel* mediatè à communitate accipiens, qvi Jus ſuum in eum transfert. *Sufficienter promulgatum*, h. eſt, indicatum & patefactum. Unde promulgari q. provulgari, ſine hac enim nec dirigere, nec obligare lex poteſt, nil enim dirigit, niſi cognitum, & nil cognitum, niſi propoſitum ac manifeſtatum. Unde in legislatore manens, non ſubditis patefacta, non totum reqviſitum ad completam legis rationem pertinens habet, nec officium legale exercere poteſt. *Sic lex æterna*, qvà talis in Deo manens, propriè lex non fuit, anteqvam ſubditis cum obligatione intimata eſt. *Et in legislatore* manens ſententia, nondùm vera lex esſe poteſt.

10. *De eâ nota, 1. Promulgatio* non tantùm ſolennem & externam manifeſtationem, qvomodo apud Romanos toto trinundino, h. eſt, 27. diebus publicè proponebatur: *Sed qvamvis ſufficientem revelationem ſubdito factam* notat, ſic in lege naturæ interna inſcriptio, *t. 8.* In reliqvis externo ſigno eſt, *voce*, ut apud Lacones, qvibus ſcribere leges Lycurgus vetuit, *aut ſcripto, ut* apud Athenienſes & Romanos. *2. Signum externum ſufficienter revelet*, & ratione *modi*, ut is clarus, apertus, & patens ſit, non ut *Caligula*, minutisſimis literis & anguſtisſimo loco

fiat,

fiat, *Sveton. c. 41. Et objecti*, cui notificatur, ut satis universaliter communitati indicetur, etsi non omnibus individuis in singulari, ut potissima membra sciant, & ab his reliqvis indicari possit. Unde si ignorant qvidam, ex supinâ & crassâ ignorantiâ fit, qvæ non excusat.

11. *Dices: Hoc modo non dirigit Lex.* Ignotum enim non dirigit, *t. 10.* At qvod non dirigit, nec obligat. ℞. *Non dirigit actu scil.* & de facto, vi dirigendi tamen prædita erit, & in hoc essentia legis est. Actu dirigere officium ejus est, qvod interdum abesse potest. Vis dirigens non separatur à vi obligandi, si esse legis in se spectes. Actualis tamen directio ab actuali obligatione, & hæc ab illâ separatur, si officium legis in hoc aut illo homine particulari spectes. Sic per dispensationem aliqvis ab obligatione legis eximitur, & spontè secundum legem se dirigit. Et contrà legem ignorans non dirigitur ab eâ, & tamen obligatur. Ut Turca polygamus in N. T. *Obligatio enim legis non ex scientiâ subditi, sed voluntate superioris sufficienter expressâ* pendet, & instar moralis cujusdam, ut dominij, juris, servitutis, etiam ignoranti adnasci potest. Sic lex naturalis obligat etiam infantes. Et tamen ob defectum usus rationis ignorant eam.

12. *Promulgatio est vel solennis*, qvæ cum ritu & ceremoniâ fit, ut lex in Sinâ, *Exod. 20.* Hæc in lege humanâ ob publicam magistratus authoritatem necessaria est. Sic Romani ritus adhibebant. *V. Pontanum T. 4. progym. dial. 20. Dempsterum l. 8. ant. Rom. c. 2.* In divinâ non semper, qvia Deus absolutè omnium Dominus: *Vel non solennis*, qvæ sine ceremoniâ. Sic Christus prædicare jussit Apostolos. *Matth. 10. v. 5. 4. Promulgationem seqvi*

*debet*

*debet subditorum acceptatio*, secus ejus non est obligatio. Si subditus jus habeat disceptandi de lege, eamq; non acceptet, non obligabit. Et acceptatio fiat à majore communitatis parte, etsi non ab omnibus individuis in specie, & *vel tacitè*, cum non contradicitur, *vel expressè*, voce aut scripto, vel ipsâ executione, cum ipsâ praxi exprimitur.

13. *Ab officio & subjecto dicitur, dirigens substantiam intellectualem in vivendo, & obligans ad obediendum. Officium legis est directivum actus, & obligativum status. Directivum*, hoc est, dirigere debet, & in eo esse legis est. Dirigere facto officium ejus est. *t. 11.* Et lex *divina* actus internos & externos æqvè dirigit, qvia totalem perfectionem, objectivam & subjectivam, extensivam & intensivam postulat, *Matth. 5. v. 28. Jac. 2. v. 10. Humana* externos primò, internos secundò. Unde nemo in foro soli luit, qvi tantùm internè peccat, secundùm illud: Cogitatus liber est, Gedancken sind Zolfrey. *obligativum*, qvia debitum morale in subdito infert, qvo se ad voluntatem legislatoris sub pœnæ comminatione, si contrà agat, conformare tenetur, tàm ratione objecti & rei volitæ, qvàm modi volendi & circumstantiarum, ut temporis, qvando & qvamdiu, an ex nunc, an postea, an perpetuò, an ad tempus, & modi, ut, an pœnaliter & sub vitæ periculo, ut cum legem servare plus commodi reipublicæ infert, qvàm vitam servare. Sic miles ad stationem non deserendam obligatur, etsi certò ei moriendum, *An conscientiosè*, ut interno mentis dictamine eò homo constringatur, & hoc *vel directè*, qvomodo lex Dei obligat, *vel indirectè*, qvà conseqventer Deus læditur, nî legem observes, qvomodo humana lex conscientiam obligat. *Rom. 13. v. 2. 5. 1. Pet 2. v. 13.*

*v. 13. 19.* *Et Subjecti*, an omni homini, ut moralis, an cuidam, ut ceremonialis, lata, an toti communitati, an qvibusdam membris, ut Sacerdotibus, militibus; An ſcientibus, an ignorantibus ſimul. *t. 10. 11.*

*14.* *Subſt: intellectualem*, ut Angelum, hominem. Et lex activè & pasſivè ſumta, ferendo & accipiendo, tantùm in intellectuali ſubſtantiâ eſt. Brutum in materiâ & objecto legis esſe poteſt, ſed nec ferre, nec accipere eam poteſt. *d. 3. t. 3.* Lex naturæ etiam bruto asſignari ſolet. Sed ea in illo propriè non lex, ſed inſtinctus naturæ eſt, *t. 16.* *Vt ſalus ſtatus ſervetur*, finis hic legis eſt, qvi ultimus Dei gloria, propinqvus ſalus ſtatus publici & privati, & intermedius, tàm ſuperioris, qvàm inferioris directio eſt.

*15.* Sic *definitio* legis. *Cauſa efficiens ex t. 9.* materia, licitum, *t. 2.* Objectum & ſubjectum *t. 13. 14.* patent. *Affectiones legis* neceſitas, dignitas, & utilitas ſunt. *V. Ariſt. 5. Pol. c. 8. Dempſt. præf. ant. Rom.* *Bonitas*, qvà non de illicito esſe debet, *t. 2.* *Efficacitas*, qvà & vi directivâ, & obligativâ, & coercitivâ prædita. *t. 11. 18.* *Interpretatio*, commoda legis ſcriptæ explicatio, & ad ſpeciales caſus applicatio, qvæ *vel* ſimplex, *vel* per æqvitatem & correctiva, cum rigor mollitur, & mens latoris in caſu particulari, ſi eum dijudicasſet, evolvitur. Præſtantius qvid ipsâ lege dicitur *5. Nic. c. 14.* qvà emendat eam, & ex non emendato periculum oriretur. Duritiem enim legum, noſtræ humanitati incongruam, emendari oportet. *L. 1. Cod. t. 14. c. 9.* *Eaq; reſtrictiva*, ut lex de Sabbatho, *1. Maccabeor. 2. v. 41.* *Vel extenſiva*, ut de voto, *Num. 30. v. 4. ſeq.* Unde & de conjugio, qvod ſine con-

ſenſu

sensu superioris non ineundum, colligitur. *Oppositum ejus summum & rigidum jus est*, cum litera nimis observatur, & in applicando potiùs injuria, qvàm æqvitas committitur: *Et sycophantia ac illusio*, cum sensus legis callidè in alienum detorqvetur.

*16. Divisio legis in naturalem*, qvam *vel* homini cum brutis communem, ut ICti, ut fœtum amare, seipsum defendere, qvæ impropriè lex, cum nec ratio, nec voluntas, nec Justitia in bruto, *t. 14. vel* homini propriam faciunt, ut parentes honorare, ut Theologi, qvi ab ICtis hic divertunt, *V. Becan. p. 2. T. 1. Th. Sch. tr. 3. c. 3. q. 1. Divinam*, qvæ Deum authorem habet, *& Civilem* est, qvam homo ut animal sociale pro bono communitatis constituit. Qvæ *scripta & non scripta, vel consvetudinaria, primaria & secundaria, publica & privata* est.

*17. Cognatum legis Censura est*, morũ animadversio, corrigens, qvæ nondùm scriptâ lege comprehensa aut Judicio publico subjecta sunt. Eam diligenter Romani coluerunt, unde Censores statuti. *V. Koning. l. 10. Pol. Amirat. L. 11. d. Pol. d. 2. Bodinum 6. d. Rep. C. 1. Dempsterum. l. 7. Antiq. c. 10. aliosq;.* Et *consvetudo est*, Jus non scriptum ex longo usu ortum, vim legis obtinens. Ejus, si bona, triplex usus est, abrogandi, instituendi, & interpretandi legem. De hac varia qværuntur, quæ apud *Becanum c. l. c. 8. Lessium d. Ju. & Jur. L. 2. c. 6. Vasqvetz. d. 177. Svaretz L. 7. d. leg. Covarruviam, aliosq;* videantur. *Oppositum primarium illegalitas & legis abrogatio, secundarium suspensio, obligationis legalis ad tempus inhibitio*, ut postea iterùm valeat, *& dispensatio est*, ejus in particulari ad talem casum relaxatio, in qvo lex aliàs vigere debuit.

buit. *Hæc* in positivâ & humanâ, non divinâ & naturali est, hæc enim immutabilis Dei voluntas est. Excipere aliqvid DEUS ab eâ potest, ut in tali casu non obligare intelligatur, ut fratriam ducere in carentiâ hæredis, filium unigenitum occidere, in casu tentandæ erga Deum obedientiæ, nec lex hic mutatur, sed objectum aliqvod ab eâ excipitur, qvod ad regulam non pertinere intelligatur, non qvòd propriè circa eã dispensetur. De eâ plura *apud Becanum c. l. c. 4. Valent. T. 2. d. 7. Molinam d. J. & J. T. 6. tr. 3. Lessium c. l. Meisnerum d. leg. q. 10. & P. 3. Ph. sob. s. 2. c. 4. Brochmandum L. C. d. Leg. c. 4. Covarruviam T. 1. p. 2. Var. Resolut. Thomam l. 2. q. 100.* aliosq; videantur. De Legibus & earum reqvisitis etiam *Verulamium L. 8. d. augm. scientiar. C. 3. vide.*

18. Sunt aliàs, qvi censent, *dispensationem in lege Naturæ*, qvæ sine dubio divina est, à DEO fieri posse, tàm illis, qvæ expresse in decalogo continentur, qvàm qvæ extra eum, Ut *Occamus in 2. q. 19. Gerson tr. d. vit. Spirit. l. 1. Corol. 10. Almaynus tr. 3 Moral. C. 15.* Qvòd peccatum ideò sit, qvòd à DEO prohibitum sit, ut furtum, mendacium, adulterium, & si prohibitum non sit, non malum sit, eoq; hic dispensari possit. *Alij* distingvunt, & in decalogo non, sed aliis legibus naturæ dispensari posse censent. *Vt Sotus 2. d. J. & J. q. 3. Bellarm. d. matrim. C. 11. Durandus, Bonaventura, Scotus,* adhuc aliter limitant. *Sed vox dispensationis explicanda* est, & ab irritatione, abrogatione, derogatione, declaratione seu interpretatione, & exceptione, distingvenda est, qvamvis sæpè pro ijsdem sumantur. Plura aliàs.

